

possint, integro tamen internè quoque sunt v̄si. Ex aqua potum, venenatis fungis opponūt Dioscorides & Auicenna, *Li. 5. c. 74.* vomitum ciere dicūt, & latas alui tineas *Li. 2. tr. 2.* enecare, quanquam erodat, sitq; septicę *cap. 170.* facultatis. Per superiora purgare Oribasius constituit, & sudorem mouentibus remedijs annumerat. An id ergo temerè hinc amādabimus? Antiquis cognitum fuit, medicoque, quo ipsis modo complacuit, acceptum. Recentiores illius, vt & aliorum plærorumq; parandorū aliam viam ingressi sunt. An ideo, ceu forent maiestatis læsæ rei, in litterarium ius, tanta acerbitate pertrahendi? Quotusquisq; Galeni sectatorum hoc ipso sæculo medicinam facturus, præsignatis remediorum parandorum formulam stabit sancte, vt nihil eorum vel mutet, vel rectæ rationis ductu mutandum existimet? Ut hactenus monstratum sit, quæ iam expendimus remedia, inter ea, quæ Chymici eximiè usurpant facile præcipua, à communi medicantium materia haud-  
quaquam aliena  
esse.

CA-